



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. X[X]XI. de excessibus Prælatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

Quia ordinariè , & ut plurimum non curatur à peccatoribus 1. Quia directè repudiat gratiam Dei. Sicut si infirmus unico remedio curari posset , & is illud admittere nollet , rectè dicitur morbus incurabilis. 2. Quia cum sit peccatum ex malitia , & non ex ignorantia aut infirmitate, nihil in se habet, unde veniam mereatur. Sannius. tom. 3. dist. 7. q. 4. n. 8.

Ad num. 3. & 9. Observa quod tertius agat de dubio juris. num. 9. de dubio facti. Quod si igitur dubitem de jure, & operer, non incurro irregularitatem; quia præsumitur irregularitas non esse imposita; si de facto, debeo priùs dubium prædicum deponere. Vide Zoef. de Vol. nu. 50.

Ad n. 12. in medio addè. Sepeliens si Divinum officium adjungat, sit irregularis. Per *Divinum officium* intellige orationes & solennitates in conductu, ut, qui illas legit solenniter, fiat irregularis, non reliqui, sicut in canente horas, ut idem videatur dicendum si solenniter benedicat fructus, ut in Paschate cibos, in purificatione candelas.

Ad num. 16. Quæres. Quid si Parochus solenniter illos copulet? Videtur etiam referri ad actus ordinis, cum benedictionem nubentium in aliena Parochia facere non possit.

AD TIT. XXIX.

De Clerico per saltum promotò

Observa; si Episcopus consecrationem Episcopalem ante alios Ordines

suscipiat, peccat quidem, suspensionem tamen non incurrit, tum quia Episcopatus propriè ordo non est, tum quia pœna suspensionis & interdicti Episcopum non ligat, nisi exprimat. Bonac. *in Verb. Ord. nu. 36.* Idem ait consecrationem Episcopi esse invalidam omisso Sacerdotio, quia character Episcopalis præsupponit Sacerdotalem, potest enim ordinare Sacerdotes. n. 37.

AD TIT. XXXI.

De Excessibus Prælatorum.

AD nu. 1. in fine. Tridentinum dedit Episcopis jurisdictionem in exemptos, & potest censuras ferre in tribus casibus. 1. *Sess. 22. Decreto. de vitandis & obs. celebrat. M. ff.* Ubi conceditur Episcopis facultas procedendi per Censuras contra exemptos celebrâtes in Oratorio privato, nõ approbato, aut horis non debitis, aut ritibus insolitis. 2. *Sess. 25. c. 5.* Ut Clausuram Monialibus imponant, & inobedientes aut contradicentes Censuris compellant. 3. *Sess. 25. c. 16.* Ubi non conceditur Episcopis, ut per Censuras cogant exemptos restituere bona novitiis respicientibus. In aliis casibus licet jurisdictionem habeant, non tamen Censuris procedere possunt, sed remediis aliis.

**

N 2

AD